



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

de diocesana Synodi certū indicimus, summo mane in nostram Metropolitanam Mediolanensem Ecclesiam conueniant: idq; non alij eorum nomine sed ipsimet, nisi legitima causa quam probare debent, impediti sint, præsent: Inde autem, cum conuenerint, ne cuiquam discedere liceat, nisi impetrata à nobis facultate.

Edicimus præterea, id quod nostro provinciali concilio secundo decretum est, vt post indictæ huius Synodi promulgationem, in omnibus & vrbis & diocesis nostræ Ecclesijs parochialibus, quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad ipsa Synodus absoluta ac dimissa de more erit, in Missæ sacro oratio de Spiritu sancto dicatur; in Metropolitana autem, et Collegiatis processio- num etiam minus singulis Dominicis diebus intus obeatur; ex animoq; preces fiant, quibus à Deo auxilium impetretur pro optimo Synodali tractationum euentu.

Monemus item eos omnes & singulos ecclesiastici ordinis homines, vt nec etiam in itinere quod Synodi causa huc facturi sunt, neque verò hic item, ab ea viuendi frugalitate, sacerdotali modestia atque grauitate, quæ provinciali concilio priori præcepta est, discedant; sed eum exemplum fidelibus afferant, vt monet Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate; tum nobis à Deo optimo maximo, omni animi pietate, sacrificijs, precibus, ac ieiunijs auxilium implorare studeant. In quarum rerum fidem has litetas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloque nostro muniri, & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum Ecclesiarum, Aediumque Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsis singulis quorum interest, illæ allatæ ac denunciata essent. Datum ex

Palatio nostro Archiepiscopali die 8.

Martij 1572.

DECRETA EDITA IN Synodo Diocesana tertia Mediolanensi.

Decretum. I.



Quia in ecclesia Sancti alicuius corpus reconditū est; cum eius dies festus agitur, tunc in ea de illo Sancto Missæ sacrum ritu solenni fiat.

Sacrum reliquiarum quo die eorum festus agitur veneratur.

Locus præterea vbi eius corpus situm est, decenter ornatur; tum campanarum sono, vt Ecclesiæ institutum ac mos est, ea significatio fiat, qua cognosci possit festum diem in illa Ecclesia celebrari: & omnis denique alius adhibeatur Ecclesiasticæ pietatis ritus ad recolendam Sancti illius memoriam.

Decretum. II.

In sua parochiali ecclesia dum Parochus concionatur, ne vlli sacerdoti, ac ne ei quidem qui vnâ cum eodem Parocho in illa ipsa ecclesia curam animarū gerit, Missæ sacrum facere, aut baptismi (si modo mortis periculum non imminet) sacramentum ministrare liceat.

Parochus in sua ecclesia concionante nemo missæ celebre

Decretum. III.

Qui sacerdotes in ecclesia collegiata vel cappellas obtinent, vel elemosinæ nomine statis diebus ibidem Missæ sacrum faciunt; qui præterea Clerici eisdem ecclesiæ adscripti sunt; ij vnâ cum eiusdem ecclesiæ clero publicas supplicationes obeant, nisi sacerdotes ipsi ab eo sint munere immunes, quoniam alteri ecclesiæ addicti iam sunt.

Beneficia obtinentes in aliqua ecclesia, vel in ea adscripti, ad processionem conueniant.

In omnibus item processionibus (ijs solū exceptis que Ambrosianarū litaniarū tempore fiūt) Clerus vniuersus ad libri sacerdotali; vel alterius Archiepiscopi arbitratu deligendi præscriptū, semper aliquid canat cum ea re conuenient, cuius causâ indictæ sunt supplicationes.

Decretum. IIII.

Singulis diebus festis, qui vel Ecclesiæ præcepto vel consuetudine conluntur, in parochiali sua ecclesia Parochus vespertinum officium canat, datis tamen prius stata hora, vt moris est, campanarum signis.

Vespertinum officium in parochiali ecclesia festis diebus recitetur, & quinā inter esse debeat